

De Doctrina, et scriptis Doctoris Alani, amplio- **A** tiorum, adjunctis brevioribus opusculis diverso-
rem desiderans Notitiam, consulat Bibliothecam rum veterum Patrum Ordinis Cisterciensis, tam
Scriptorum Ordinis Cisterciensis, quam anno Do- vitæ sanctimonia, quam eruditione illustrium (1).
mini 1619 vulgavimus, cujus nunc adornamus F. C. D. V. P. D.
editionem II priore longe correctiorem, et locuple-

(9*) Vide supra Dissertationem Oudini, qui quid-
quid Vischius de vita et Scriptis Alani in *Biblioth.*

Cisterc. de novo exaravit, in usum suum convertit.
EDIT.

EPISTOLA PERILLUSTRIS, REVERENDISSIMI ET EXIMII DOMINI

D. CLAUDII VAUSSIN

S. theologiæ doctoris, abbatis Cistercii et universi ordinis Cisterciensis generalis
upremi.

Qua post approbationem *Bibliothecæ Scriptorum sacri Cisterciensis ordinis*, anno 1649 publicatæ, ejusdem
auctorem hortatur ad aliorum operum suorum editionem, specialiter autem ad recognitionem Operum
B. Alani, Cisterciensis conversi.

*Retirendo, et nobis in Christo confratri charissimo, Domino CAROLO DEVISCH, ævoni monasterii nostri
Dunensis prioris.*

Reverende in Christo Pater,

Quod sacri Cisterciensis ordinis nostri scriptores jamdudum in tenebris delitescerent nunc a latebris ad
lucem, et quasi a tumultu ad vitam redivivi redeant, tuis laboribus et lucubrationibus acceptum referimus;
eoque gratiorem habemus voluminis tui editionem, quo majori prædicti nostri ordinis ornamento et splen-
dori cessuram esse confidimus; tibi propterea nostro nostrique ordinis nomine gratulamur, et dignas re-
pendimus grates; teque hortamur, quanto possumus affectu paterno, ut incepta quæ restant tibi opera per-
ficere satagas ad majorem Dei gloriam, quem apprecamur ut labores tuos benedictionibus suis cumulare
dignetur; si quæ autem opera B. Alani nostri, Cisterciensis conversi, præter ea quæ præ manibus habes, in
nostra Cisterciensi bibliotheca inveniri poterunt manuscripta, ad te curabimus transmitti, ut prelo man-
dentur. Cæterum, macte animo, reverende Pater, et quo cæpisti zelo perge allaborare ordini nostro, quem
æternum devinctum habebis; nos vero tibi inserviendi occasionem præstolati Deum præpotentem exoramus,
ut tibi gratiarum suarum cumulum æternum pro mercede et laborum tuorum congruo præmio conferat,
nosque tuis devotis precibus toto animi affectu commendamus.

Cistercii die XII mensis Martii 1650.

Reverendæ paternitatis vestræ

*In Christo charissimus et addictissimus confrater
CLAUDIUS abbas Cisterciensis generalis.*

CENSURA.

Legi accurate et cum magno animi mei sensu opera hæc moralia, parænetica et polemica Alani Magni
de Insulis vulgo nuncupati, et quia plena sunt Catholica et erudita pietate, utiliter imprimi poterunt. Ita
censeo. Datum Brugis die XII Aprilis, anno Domini XVI, quinquagesima secundo.

Joannes Baptista Vanden Zype,
Canonicus Eccl. Cathedr. S. Donat, Brug. L. C.

FACULTAS ORDINIS.

Nos Fr. Bernardus Bottyn, monasterii Beatæ Mariæ de Dunis Ordinis Cisterciensis in Diœcesi et Urbe
Brugensi abbas, ejusdem Ordinis per Belgium Vicarius et Visitator generalis, tenore præsentium facul-
tatem damus ut opera parænetica, polemica et moralia Alani Magni de Insulis, indefesso studio et labore